



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Talio, Sev Metiens Et Remetiens Mensvra

Stengel, Georg

Ingolstadij, 1650

§. 6. Alius similis calumniator similia passus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52346](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-52346)

Nec refert, siue ignis is sit, siue aliud elementum, aut bellua deuorans; quæcumque mala vos alijs paratis, scitote etiam paria pro vobis superesse: immò illa ipsa in vos posse reuerti. Nam ouum ouo tam simile non est, quàm historiæ modò recitatæ, seu historia, seu fabula, ex Italico authore ferè verbatim huc apponenda, in documentum calumniatorum, licet ea pœnam ignis non contineat, sed bestiarum.

§. VI.

Alius similis calumniator, similia passus.

Selimo Constantinopoli Turcis imperi-
tante, captus à Piratis Lamprinus adoles-
cens quidã cum formâ, & corpore elegans,
tum animo ad omnem virtutem excultus,
eidem Tyranno vt mancipium muneri est
datus. Qui Tyrannus etsi truculentissimus
aliàs vitam extorquere captiuis Christianis
soleret, generosa tamen indole commotus
vitæ ei gratiam obtulit, si eiuraret Chri-
stum. Erat tum annorum XV. oriundus ex
Corfu, ac quòd tenerâ ætate rerum careret
experientia, nec ita quæque suis momentis
metiretur, ingenti terrore perculsus, &
præsenti necessitate adductus imminentis
horrendi supplicij metu, si aliter faceret,
externo

Io. Bap-
Girald.

Cinthius

Hecaco-

michorù

p. 2. de-

cad. 8.

Nouella:

6. fol. 135.

Venet.

1584. 41

externo cultu subscripturum se Machumetanigenarum superstitioni finxit, in animo soli Christianorum interim Deo facturus sacra, quoad melior adspiraret aura. Hoc facto, ut elegantia, ita gratia in dies apud heorum crevit, quod multis, qui iam olim in aula seruibant grande peperit cordolum. Erat inter cæteros Zelimus quidam, quem ita exosum habebat Selimus, ut de illo interficiendo cogitaret; hic Zelimus aduertens, quàm bono apud Selimum loco esset Lamprinus, eo patrono se receptum in gratiam obtinere posse confidere cœpit, quare illum compositissima ad omnem submissionem oratione rogavit, ut, quando ab Imperatore nihil non facillimè posset obtinere, antiquo dignitatis pristinae loco redere ne grauaretur, quo excidisset, secretarij nimirum cubicularis; promittens, se gratiam, quàm posset maximam beneficio huic immortalis redhibiturum. Erat eius ingenij Lamprinus, ut in perditis eum diem, & horam sibi numerandam arbitraretur, qua non obsequium alicui gratificatus fuisset, quare liberaliter promisit, si quâ re patronum eius agere posset, haudquaquam intermissurum occasionem; nec multò post eam

eam nactus, tam strenuè rem eius egit, ut pro fratre meliùs facere non potuisset. Calorem tantum admiratus Selimus, nescis tu, bone, quid petas, ait, Eà enim est malignitate naturæ Zelimus, ut sperari ab eo nil boni quicquam possit, ac quamquam montes polliceatur aureos, plumbeum non præstabit teruncium, id quod multiplici me jam dudum docuit exemplo, inde plures mihi sunt & graues causæ, cur inuisum habeam atque execrer. Ne tamen tibi, quem tantopere diligo, rusticè aliquid negasse videri queam, Esto sanè in tuam gratiam, reddo illum officio, quamquam animus iam præfagiat, cessurum id in vtriusq; nostrum grande & exitiale malum, nî Deus auertat. Senties, & vtinam vel maximâ calamitate tuâ sentias, spem de ipso à te conceptam turpiter esse falsam, promissa ventis tradita, pessimam tibi relatam gratiam. Lamprinus his omnibus nihil motus, vbi gratias egit, Zelimum Imperatori stitit, qui disertis verbis ei denuntiauit, non alterius ope, quàm Lamprini eum patrocínio dignitati esse restitutum; daret ergò operam, ut memor beneficij, ita se gereret, ne neutrum pœnitere posset: id quod se accuratè facturum.

appromisit. Magnas sæpe, spes vna; facit promissiones; quæ, vbi res habetur, abeunt in obliuionem. Vnde & Zelimus, ne vllum in aula & gratia Principis priorem haberet, vbi primùm sibi persuasit, non malo se esse apud Selimum loco, continuò consilium agitauit, quibus machinis efficeret, vt gratia Lamprinus excideret, & dederetur neci. Multa secum ad id efficiendum volutaerant, excogitaueratque, sed nullis se profecturum aliquid sibi poterat persuadere artibus, quòd ita in amoribus Selimo Lamprinum esse ægrescentibus inuidia oculis videbat: tandem tamen hanc stropham adinuenit. Erat inter Vxores Selimi Tamulia quampiam principe loco, quam ad insaniam diligebat: Ortu illa quidẽ Christiana, cæterum, quòd à piratis ex Corfu abducta, in eius potestatem venisset, & ob formæ elegantiam haud displicuisset, vt vitæ consuleret, multoties à Tyranno sollicitata, itidem in speciem, omisso Christo, Machometigenis religione accedere se simulauit.

Huius curam Selimus fidissimo sibi, vt credebat, Lamprino credidit, imperans, vt non aliter atque oculos eam suos obseruaret & coleret; id quod se facturum diligentiùs

gentius propensissimè stipulatus est: eoque magis, quòd sororè eam esse suam cognitū haberet atque perspectum, videlicet eodem aliàs fato anno superiore Byzantium raptā à piratis, quo ipse fuerat: vnde & fiebat, cū Tamulia etiam non nesciret iisdem se cum eo parentibus genitam, vt agerent inter se confidentissimè, ac deliciarentur, nemine interim quopiam altero conscio, tam arctam sanguinis necessitudinem intercedere.

Ex hoc tam hilari, & libero agendi inter se modo sementem cepit Zelimus inuidiæ, & odij, nactusq; materiem cudendæ exitialis fabæ Lamprino. Nam cū veluti Selimi secretarius, illi aliquando confidentius colloqueretur, eò diuertit orationem, vt diceret, à magnatibus maligno fato sæpe numero reijci famulorū fidissimum quemque, & officio dimitti, cū é contrario ignauissimi quique maxima quæque apud eos possent, & ad summos honorum gradus prouherentur, qui res interim infidelissimè administrarent, atque huius rei exemplum, vt non longè abiret, peti posse ab Lamprino, quem ex capto, & capitis damnato Selimus in tantam dignitatis fastigiū

extulisset, vt quod vnum ex mortalibus haberet expetitissimum, charissimumque Tamuliam ipsius fidei commiserit, quid autem dein? Responderetne expectationi, & toracantis Principis sui beneficijs? immodè verò per summum scelus ita cum ipso agere Tamuliam, vt si maritus esset, nec dubitare se venisse illum in partem tori Imperatoris, nisi fortè illa iræ tuæ furores extimescens, facinus quo minùs perpetratum sit oblitesceret. Hic Selimus, vide quid dicas, ait. Scis quantis nominibus Lamprino sis obstrictus, quidquid es, ac quantus es, ipsius es, ipsius beneficio non solùm spiras, sed in amicitiam nostram admissus palatinis facilè omnibus antistas. Et benefactorem tuum tantum, tam mihi fidum, tam charum, de re tam turpi ac nefanda apud me audeas sugillare? quem si etiam grauissimè deliquisse haberes compertum, vel cum vitæ tuæ periculo supplicio deberes subducere, nunc vltro carnicinæ obtrudis, & quod crudelitatem transcendit, innocentè, nam quid de obiecto adulterio conuincas? cui Zelimus: si eius dumtaxat obligationis, quæ mihi cum eo intercedit, rationem habere liceret, equidem silentio hoc erratum & amici, & patroni

troni maximè obruissem. Nunc, cùm me pluribus, & potioribus nominibus Maiestati tuæ obstrictum intelligam, nec potui, nec debui intermittere ad te referre ea, quæ ignorata cum summo dedecore irreparabilem tibi cladem poterant adferre, præsertim cùm perfidia tanta pro summâ fide habita summis laudibus à te sit deprædicata, & tantùm non sublata in cælum. Cùm contra contenderet Selimus, ad se signū hactenus nullum libidinosæ proteruiæ peruenisse, sed talem se præstitisse Lamprinum, ut ne optare, aut fingere potuerit aut voluerit castiorem. Nihilominus, his auditis, Zelimus propositum vrgens, nam quid miri sit, inquiebat, si exterus, & religionis nostræ hostis os tibi sublinat! obsequium se Deo præstiturum existimabit, si malè tibi facere possit: iniurias tibi à se illatas summâ gloriam interpretabitur, Quid, quòd Tamulia ut eiusdem religionis, ita & patriæ esse perhibetur? Sic quando tu totam esse tuam tibi persuades, in consortium non inuita receptura est suum ciuem, quid si mater fiat? quid si tu curruca aliena educes pignera? quid si spurij illi, te senescente, imperium sibi vendicent Orientis? Et quæ cum matris

P 5 lacte

lacte suxere popularibus nostris vel instillent, vel obrudant Christianæ superstitionis deliria? quæ quanti sint momenti, equidem tibi, Imperator, expendenda relinquo. Auditis hinc suspicio orta est in animo Selimi; fidem tamen tribuere noluit prius, quàm signum quoddam ac vestigium facinoris ipse deprehenderet, neque enim amoris magnitudo, quo æquè Tamuliam, ac Lamprinum prosequeretur, præcipitare feralem sententiam sinebat; utque certi aliquid de ijs concluderet, obstare beneficiorum erga eos multitudinem, quâ eos sibi deuinxerat, sentiebat. Itaque conuersus ad Zelimum, Quod si calumniatum esse te deprehendero, stomachabundus exclamat, Ea supplicia mansura infelicitatem tuam scito, quorum acerbitas ijs experiunda erit, si proditoriè, aut perfidè mecum eos egisse comperiam. Argum agam, & si quod scelus est in apertum producam; ubi nullum erit, senties, & quidem proximo malo tuo, quàm mihi displiceant erga benefactores ingrati. Obtulit ille corpus, si sciens falleret, dolouè malo inuidiam conflaret Lamprino, supplicio vel Phalaridis tauro immaniori. Imbiberat jam tot calum-

mijis

nijus venenum zelotypus, & quiduis, quod diceret ageretue Lamprinus, in deterius rapiēbat. Ita crescente in dies suspicione, factum, vt cūm alia pertractaret cum Selimo Zelimus, is vltro de Lamprino sermonem inferret, ac se nunc demum intelligere affirmaret, quò spectarent familiares congressus Tamulix, & Lamprini. Nam vt mordicus tori fidem obseruaret Tamulia, vero tamen simillimum sibi videri, Lamprinum illi, plus quàm sit necesse, familiarem. Sed diespiter me perdui, exclamabat, nisi atrociter luet subsessor thalami nostri, indignus, qui pereat ab humana manu, lacerabitur à feris. Incredibile dictu est, quàm audire hæc iucundum fuerit Zelimo, confirmanti Dominum, vt si posset, crudelius etiam fauaret in Mœchum.

Erat Selimo viuarium diuersis refertum, bestijs, vt leonibus, pantheris, tigridibus, quas gratissimo subinde inter se spectaculo committebat. Huius mansuetarium cūm ad se accersiuisset, imperauit, vt, sicut erat, leonibus deuorandum obijceret, quemcumque vesperi ad ipsum amandasset, rogaturum, *An executioni mandasset, quæ Imperator ei dedisset in mandatis?* Leontarchus, ne
paria

paria cogere tur perpeti, memori mente imperata reposuit, & Orco futuram victimam est præstolatus. Subinde Selimus cum Lamprinum ablegasset ad Leontotrophum, quaesiturum, num quæ Imperator ei dedisset in mandatis, perfecisset, nescio quæ insolita hominem incessit religio, reputantem secum insolitæ legationis insolentiam, hominis in aula in paucis spectati ad homuncionem è plebis sentinâ: eapropter animo aliquid mali præfagiente, secessit in frutetum. Et cum in genua se precabundus abiiecisset, versis ad cælum oculis sic Deum cœpit compellere. *Scis ô Cardiognostes, animi imbecillitate eò (prò dolor!) me abreptum, ut cum tua sacra medullitus sola venerer & amplectar, sacrilego fuce me Mahumeto quoque addictum ausus sim simulare. Certè numinis tui reuerentia numquam excessit pectore, neque animus præter te quemquã adoravit, ut par est, Deum. Quare demissimè flagito & obtestor, ut calamitosa illa fragilitate mea insuper habita ne dedigneris clementi me respicere obtutu, & si quod me ex imperio heri, quo nunc perfungor, manet infortunium, id benignè auertere. Quin verò & iram pandis, per quam è turpissima hac servitute euadam? ut, excusso Mahumeto, palam pessimo*

possim preces tibi allegare, vti nunc miser in secreto, te conditorem assertoremq; meum promissimo assensu adoro atque veneror. Subinde amuleto sacrosanctæ Crucis frontem, & pectus obarmatus, quò destinatus erat pergere institit. Porrò haud aberat Zelimus, cùm Selimus mandata dederat Lamprino, quare cùm ad summam votorum desideria tandem sua tendere intelligeret, nihil prius habuit, quàm vt ad leonum caueam, & ipse quoque contenderet, hostisque sui internecone tristissima crudeles pasceret, oculos, & si ita daretur occasio, ad maiorem rabiem leones inhortaretur. Illico ergo & ipse se quoque dedit in viam, ac dum precibus tempus exigit Lamprinus, Zelimus prior leontarcho occurrens sciscitatus est, Ecquid mandatis Imperatoris paruisset? ille, qui catharma futurum trito calle manebat, vbi symbolum inaudijt, quod à rege morti sacratum leonibus addiceret, protinus hominem inuasit, & nequiquam reluctantem bestiis lacerandum obiecit, nec potuit eum multoties imploratus seruare Mahomet, nec truces minæ, nec submissæ preces, nec amplæ pollicitationes, nec, pro quo erat succedanea victima,

ma, imperatorio iussu carnificinæ Lamprinus jamiam adfuturus, quin ita foedè tractaretur, vt Pentheus, Absyrthusue mitius sit habitus. Iam sepulchrum nactus erat ingratus Zelimus in leonibus, cùm aduenienti Lamprino Leontarchus, nempe rescire cupis, inquit, an Cæsaris imperio perfunctus sim! Et annuentem illum ad caueam duxit, ossiumque reliquias cum infelicitate, deinde & vestes quoque ostendit, addiditque, summa vociferatione contempsisse, non se, sed Lamprinum quemdam, vt belluarum ingluuiem saturaret submissum; præstolaretur igitur tantisper; mox adfore, se hæc insuper habuisse, & potius Cæsaris imperium, quàm huius tergiuersationem, & insidiosa lamenta curasse. Ex hisce haud difficulter didicit Lamprinus & scelus in authorem recidisse, & miseratione diuinâ votorum se suorum factum esse compotem, quare actis Deo gratijs statuit se in Christianam libertatem asserere. Solitus erat aliàs animi subinde gratia domitare Asturconem Imperatorium, quo ipse vtpote velocissimo utebatur, cùm pugnas ferarum spectatum concederet, hunc fugæ suæ aptissimum iudicauit. Ergo vbi caussa-

tus

rus mandatum à Cæsare, eum conscendit, ac nemine interpellante, ad Christianorū fines in Sclauoniam terendit, quò vbi venit, nihil habuit antiquius, quàm Ecclesiæ Orthodoxæ vt reconciliaretur. At Selimus, qui nihil dubitabat Lamprinum à Leonibus deuoratum, cùm desideraret Zelimum, nec quisquam, quid eo ageretur, rationem posset reddere, rei insolentiam haud modicè est miratus, interiectis diebus nonnullis sterni Equum iussit, vt Ferarum pugnis intenderet, at strator se illum pronuper Lamprino cessisse respondit, qui principis eum nomine sibi cedi voluerit, ardui negotij expediendi causa. Obstupescens Imperator si viueret Lamprinus, Ecquem ergo Leontotrophus feris obiecisset est percontatus? cui ille, eum videlicet, qui primus ex se sciscitatus esset, *Num qua ab Imperatore habuisset in mandatis, effecisset, Zelimum;* idque se eidem Selimo per paulò post superuenientem Lamprinum significari curasse. Mox Selimus haud absurdè est suspicatus, per calumniam structas esse à Zelimo Lamprini vitæ insidias, atq; utique sanguinolentum animum, oculosque dum illius carnificina exaturare conaretur, ipsum cecidisse

cecidisse in foueam, quam innocenti ef-
foderat, diuinæque prouidentia sapientissi-
mam adorans dispositionem non potuit
non vehementur commendare, ingratis-
simum bipedum ingrati animi dignum re-
tulisse præmium. Sparserat iam longè late-
que fama, ob id, quòd Tamulix pudicitia
infidiatus fuisset Lamprinus, Imperatoris
imperio ad bestias damnatum, & ad ipsius
quoque Tamulix aures pertulerat, quæ
haud parum mœsta, ob fratris lanienam,
tantò postea magis exhilarata fuit, vbi,
quod factum erat, reipsa intellexit. Nam
postquam domum venit, Lamprinus ipse,
vt mendacium refelleret, honorisque in-
demnitati consulere, scriptis ad Selimum
litteris, per calumniam famam suam arro-
sam est questus, de quo ne dubitandi locus
esset, nolle se ipsum ignorare assererat,
Tamuliam iisdem esse parentibus procrea-
tam, quos ipse pro suis meritò agnosceret
& veneraretur. Cùm verò sibi constaret de
iniquissimè se apud eum traducto, & capite
suo in periculum adducto, coactum fugâ se
ibi consulere Equi beneficio, quem ne aut si-
dei defuisse, aut quicquam alienum surri-
puisse posset argui, cum hisce Domino re-
mittere

mittere. Acceptis litteris, & agnitis à manu Lamprini, Selimus rogavit ex Tamuliâ, Ecquæ ipsi necessitudo intercederet cum Lamprino? Non alia, ipsa respondit, quàm sororis cum fratre, neque enim diffiteri possum, fratrem illum esse meum, quo audito, duplici ex capite dolere cœpit Selimus, quod & perperam fidem improbissimo sursurroni adhibuisset, & interim fidelis ministri officiositate excidisset: cumque nihil non industriæ adhibuisset, vt domum reconcilaret, frustra tum fuit. Vbi autem nequijt id homini persuadere, admirabili in barbaro vrbantate, & donis coluit multis. Et verò non perfunctoriè est cohortatus, vt quam sibi integritatem, & fidem præstitisset, eam, cuicumque tandem domino operam addiceret, præstare neu omitteret. Post paucos menses, cum mortuus esset Selimus, Tamuliam magnarum opum reliquit hæredem, quæ pertæsa Mahometanismi, & cupida Christianismi, de eo certiozem fecit fratrem, maximopere obtestata, vt se conueniret, & ad suos abduceret. Hic, impetrato ab Solimanno Selimi successore commeatu, Constantinopolim veniens in patriam auexit sororem, quæ temporalium re-

Q

rum

rum satur Monacham induit, & quarum
 Domina erat diuitiarum, fratri transcripsit,
 qui lautè ipsi necessaria, & socijs Virgini-
 bus subministravit, vt cœnobium reddere-
 tur sanè opulentum. Atque ita malignus,
 ingratusq; calumniator miserè periit, Lam-
 prinus seruitute exemptus abdicauit se su-
 perstitione, liberauit sororem, & cum ea in
 Orthodoxa religione multo dehinc tempo-
 re felicissimè prouixit. Huc vsque Ioannes
 Baptista Giraldus: quæ si ad suprâ memo-
 ratae historiæ imitationem à calcaria ad ca-
 neas bestiarum tracta sunt, & Poëticè nar-
 rantur; tamen ingenium calumniæ, pœ-
 namq; talionis ad vitium depingunt: quod
 vitium nullis satis vel historijs, vel fabulis
 potest castigari. Nunc ad ignis elementum
 reuertamur, vt ijdem vrantur magis, qui
 calumniantur.

§. VII.

*S. Ignatio Loyola ignem imprecantes, vel mi-
 nitantes, quali igne puniti?*

Nicol.
 Orland.
 in hist.
 Soc. IESV
 t. 1. lib. 1.
 n. 58.

Compluti Ioannes Lucena pius sacer-
 dos dum, comite Ignatio Societatis IESV
 authore, stipem corrogat, homo nobilis, v-
 troque conspecto, & cognito ex Lucena, quem
 in usum eleemosynæ cogeretur; reprehendens